DE LAVDIBVS

CAIETANI MONTII

ORATIO

HABITA

NON. NOVEMBRIB. A. MDCCCXXV

IN LYCEO MAGNO BONONIENSI

QVVM

STVDIA SOLLEMNITER INSTAVRARENTVR





BONONIAE

EX OFFICINA SASSIANA

A. MDCCCXXXI

PERMISSV PRAESIDVM.

CAROLO OPPIZZONIO

CARDINALI ARCHIEPISCOPO

SVMMO PRAESIDI

LYCEI MAGNI BONONIENSIS





PHILIPPVS SCHIASSIVS F.

Numquam enimvero futurum putavissem, Vir Eminentissime, ut quae habita jampridem abs me oratio est, cum studia sollemniter in Lyceo nostro instaurarentur, e scriniis, in quibus inter alias

chartulas meas adhuc latuerat, educenda mihi nunc esset, atque in lucem emittenda. Vt enim dicere praeteream, quod iis caret omnibus cum latini sermonis, tum eloquentiae ornamentis, quibus splendescere oporteret, uti et argumento, quo de agit, et loco, quo prolata fuit, digna esset, eam amisit, quam tunc habuit unicam, quum primum audita est, laudem nescio cujus novitatis. Nemo enim ex auditoribus erat, cui loci illi, elegantes, ita vivam, ac nobiles, ex Montii autographis, quae asservo, excerpti, atque in meam inducti orationem innotescerent, quos certe quidem non injucundum ipsis, immo vero pergratum, quemadmodum vel inter recitandum perspexi, accidit cognovisse. Hi porro abs me una cum integris, quibus inserti

erant, lucubrationibus editi hoc annorum spatio fuerunt, cum pro re nata alios rarissimi illius ingenii foetus nondum evulgatos prodidissem. Quare nihil plane erat, cur eam modo orationem ederem, quae et nulla suimet ipsius praestantia commendaretur, et quibus ornabatur luminibus, cum palam jam omnibus facta essent, eadem a se primum ob oculos poni minus vere affirmaret. Omnem igitur de ea edenda cogitationem, si qua unquam succurrisset, prorsus abjiciendam sentiebam. At sensere aliter non pauci, quorum vereri judicium consuevi; qui peropportune factum iri asseverant, si Montianis, quae in unum collegi, commentariis, quasi libro frontem, ac legentibus monitum, meam hancce praeponerem orationem. Quin immo auc-

tores mihi insuper erant, ut eamdem Tibi, V. E., offerrem, et consecrarem. Ad quemnam enim potiori illa jure pertinere posse, quam ad eum, ajebant, qui et Lycei summus est Praeses, et uti scriberetur jussit, et cum recitaretur, aures praebuit benignissimas? Tu praeterea me semper incredibili humanitate, magnisque es beneficiis prosequutus; ut aliquod Tibi abs me grati animi testimonium publice debeat exhiberi. Sic illi nimirum non semel, sed pluries; quorum equidem et consiliis, et hortationibus id mihi suaderi libenter, ut vere fatear, sum passus, omnemque illum, qui caeteroquin magnus in mente insederat, inanitatis, atque intempestivitatis timorem abjeci; Teque summa, qua par est, animi demissione rogare audeo, uti,

quantumvis exiguam, tuaeque dignitati, ac virtuti longe imparem, hanc minime dedigneris observantiae erga Te meae, memorisque tuorum in me meritorum voluntatis significationem excipere. Quod sane uti praestes, haud pluribus mihi rogatu opus esse intelligo; quin enim sis praestiturus, non dubito. Deum potius optimum maximum rogo, ut diu Te incolumem servet et Lycei bono, et tuo.



Cum de amore sapientiae, qua praestantius nihil, nihil optabilius excogitari potest, ad juventutis sive utilitatem, sive jucunditatem etiam aliquam hodierno die studia auspicaturus verba facere decrevissem, illud mihi fateor accidisse, quod facile erat exspectandum, ut in summa rerum, quae undique animo occurrebant, dicendarum copia, ac magnitudine quid potissimum afferrem, seu potius, quando cuncta brevi temporis spatio complecti non licebat, quid praetermitterem, diu multumque dubitaverim. Nullis nimirum circumscripta finibus divinarum, humanarumque rerum, quae nosci possunt, amplitudo; incredibilis deinde multiplicium disciplinarum atque artium optimarum tum

animis, tum corporibus opitulandis utilitas; politioris praeterea humanitatis in utroque scribendi genere amoenitas mihi obversabantur, de quibus non minus copiose atque abundanter, quam ad locum et ad tempus accommodate dicerem. Cum vero ad litterarum historiam, atque ad ingeniorum veluti fastos mentem converterem, quaeque variis aetatibus, variisque regionibus fuerit doctrinarum conditio, qui progressus, quae vices; tum quae earum omnium addiscendarum ratio, qui pro iis exantlati a summis viris labores, qui ex iis fructus honoresque percepti, memoria cum repeterem, uberrimam enimvero ex his quoque fontibus, ac prope infinitam intelligebam mihi suppetere materiem, qua juvenum animos ad assequendae sapientiae cupiditatem magis ac magis inflammarem. Quare inopem, ut in proverbio est, me copia faciebat. Interea dum anceps animo incertusque haerebam, illa tandem omnem mihi abstulit

haesitationem cogitatio, satius me videlicet atque opportunius facturum, si non paucorum ex nostris et veterum, et recentium Doctorum in sollemni hujusmodi studiorum instauratione exemplum imitatus, potiusquam de sapientia ipsa, quam et rebus cunctis anteponendam, et omni adipiscendam studio sentit unusquisque, de viro sapiente dixero, qui eam apprime fuit, ac fere quantum homini licet assecutus; eaque dixero, quae minus fortasse nota, certe non intempestiva, grata etiam futura sint. Non ego vos diutius, de quo sim dicturus, exspectantes morabor. Scilicet qui et disciplinas prope omnes arripuit, deque plurimis vel scripsit ipse, vel quae alii scriberent, suppeditavit, tum in omni historia sive sacra, sive profana, atque in eruditione plane universa, supra quam credi possit, versatus est, exquisitamque, et cum paucis communem, in latino praesertim sermone, elegantiam

praesetulit; quem nonnulli ex vobis, Collegae praestantissimi, et viventem suspexistis, et docentem excepistis, singuli jucundissima quasi veneratione recolitis (habet enim, ut ait Cicero, venerationem justam quidquid excellit) rarissimum patriae ornamentum ac lumen in memoriam ego vestram Cajetanum Montium revocabo. Cujus quidem maximi viri non solum quam late omnigena doctrina patuerit, ostendam, sed etiam ex iis, quae praeclaris de rebus coram spectatissimis auditoribus perquam scite ingenioseque disseruit, afferam nonnulla, atque ubi res postulaverit, et commode ceciderit, ipsiusmet verbis afferam, ut vobis, Adolescentes lectissimi, non tam me de illo dicentem, quam eumdem ipsum loquentem audire videamini. Quapropter si quid vel utilitatis hodie, vel jucunditatis perceperitis, id mihi neutiquam, sed uni Montio laudi vertendum esse cum vos facile intelligetis,

tum sponte ego, ac libenter profitebor.

Quandoquidem de Cajetano Montio omnium primus Franciscus Tognettus vir excultissimus, ac civium gloriae suis, alienisque litteris propagandae in dies magis studiosus, tum vero sodalis noster eximius, idemque Montii et auditor suos inter aequales praestans acceptusque, et in botanice tradenda successor meritissimus Aloisius Rodatus jampridem magna, ac praeclara, quod vestrum neminem latere arbitror, in vulgus emiserunt, vix ego quidquam, aut ne vix quidem eorum, quae sunt accurate ab illis, eleganterque perscripta, commemorabo. Igitur quod ille ingenium nactus acerrimum fuerit, quam incredibili praestiterit memoriae vi, quam mature liberaliterque a Iosepho patre, doctissimo viro, fuerit ad scientiam institutus; quae vel a prima aetatula admirabilia praebuerit studii, sollertiaeque specimina; quanta deinde

cum laude legitimos doctrinae titulos retulerit; quam sapienter in Lyceo philosophiam, in Horto plantarum medicarum botanicen, in Instituto Marsiliano historiam naturalem tradiderit, ne leviter quidem attingam. Iam quid ego hic pluribus persequar, quae ille vel de suo prompta, vel de aliorum penu edidit, et Petri Crescentii, cujus et vitam publicavit, de agricultura tractatum, et Iacobi Zanonii rariorum stirpium historiam, quam ex italica latinam fecit, auxit, quamplurimis tabulis instruxit? quid Indices botanicos, et materiae medicae commendem a patre primum digestos, evulgatosque, a se deinde perpolitos, atque ampliatos, inque lucem iterum emissos, quibus Horti publici Bononiensis attexuit historiam, summorum, qui in ejus curatione floruerunt, virorum merita luculentissimis laudibus prosequutus? quid illa enumerem, quae ipsomet auctore de variis animantibus, deque novis

plantarum, herbarumque speciebus, tum vero potissimum de antiquo Bononiensi aquaeductu, ejusque exstruendi caussa a Francisco Maria Zanotto in suis elegantissimis, totoque orbe clarissimis commentariis prodita sunt? De quo sane aquaeductu dum ea considero, quae Montius exquisitissima Romanarum rerum cognitione protulit, non possum, quin ejus hoc loco memorem singularem, ac prorsus incredibilem eruditionem universae antiquitatis: quam quidem non in iis modo rebus, in quas data opera incubuisset, patefaciebat, verum in iis etiam, quas casus, atque inopina occasio obtulisset. Rem narrabo, quae me praesente cum accidit, obstupui; obstupescere non desino, cum reminiscor. Invitaverat Montium Florianus Malvetius in museum, cui praeerat, veterum monumentorum, explanationem nescio quam de iisdem sciscitatus: magnus nempe archaeologus Montium de

antiquitatibus consulebat. Erat forte prae manibus numisma Regis Aegypti Ptolemaei Evergetis, quod caput Iovis barba promissa in parte adversa profert: cum alter ex iis, qui aderant, Montio numisma porrigens, en tibi, inquit, Ptolemaeum. Ptolemaei utique, ait ille, numisma, non caput; neque enim Ptolemaei barbam promittebant. Tum qui fuerit barbae modo tondendae, modo colendae usus, quove tempore, quibusve de caussis alteruter vel invaluerit, vel obsoleverit non apud Aegyptios solum, sed et apud Hebraeos, Graecos, Etruscos, Romanos, caeteras gentes omnes, sic pro re nata exposuit, ut quae de eo argumenti genere ab Hotomanno scripta sunt, et legisse se, et memoriae mandasse videretur. Disce nimirum ab ungue, ut ajunt, leonem. Quid mirum si inscriptio illa gemina, quae dum aedium mensae publicae pigneraticiae fundamenta jacerentur, inventa fuit,

ab eo sic illustrata est, ut neque Fabrettus, neque Maffeius, neque Morcellus ipse illustrare doctius potuisset? Quid item mirum, si de putei sacri peristomio, quod ad Macaretolum agricolae, dum altius terram foderent, detexerunt, eas et ipse non secus atque Paciaudus, Trombellius, Montefanus, Biancanus commentationes exaravit, quas cum Zanottus commemorasset, miro illo suo scribendi lepore, haec tanta, inquit, tantorum hominum studia cum fuerint, nullum credo puteum post homines natos fuisse clariorem? Sexcenta afferre his similia possem, in quibus singularis, ac prope unica Montii eluxit eruditio. Cardinalis amplissimus Ignatius Boncompagnius et litteratus ipse excellens, et litteratorum fautor munificentissimus, statis diebus, quoadusqne provinciam nostram administravit, qui erant in civitate viri omnium doctissimi, eos apud se excipiebat de rebus doctis modo ex tempore, modo

de scripto disputaturos. Quis dubitet in his fuisse Montium, in quibus immo crediderim principem locum obtinuisse? Aulum Gellium legebant viri illi eruditissimi, in eumque observationes, et notationes quisque suas vel inter legendum subjiciebant, vel commentario pro opportunitate recitaturi consignabant. In scriniis meis exstant Montii iis in conventibus nonnulli habiti Sermones, quorum altero Demosthenem, contra quam Gellius retulerat, ab omni sive levitatis, sive turpitudinis nota vindicavit, altero Gellium minus proprie de lege Porcia loquutum deprehendit, quod minime Sigonius, Heineccius, viri alii clarissimi animadvertentes in errorem inducti sunt. Quam multa ille Sermonibus aliis de ipsius legis Porciae initiis, et caussis, qua quidem lege sancitum, ne Romani cives, nisi fortasse hostilis animi in patriam convicti, virgis caederentur, multoque minus supplicio extremo afficerentur; quam

multa de legis Poeteliae, quae humiliorum hominum securitati prospexit, divitum cupiditati modum imposuit, origine, vi, omnique ratione, atque effectibus, deque fraudibus, quibus infirmari, et perfringi consuevit; quam multa de lege XII Tabularum in obaeratos, an eos unquam neci tradere, immo vero eorum corpora, si plures creditores essent, quasi ad ludibrium dissecare licuerit, disputavit! Atque ita disputavit, ut quum et quidquid ab antiquis, recentibusque scriptoribus traditum esset, apprime teneret, et nova ipse sua modo explicando, modo refutando proferret, non ad alia unquam studia adjunxisse animum, sed prope ad unam juris scientiam toto vitae cursu diceres operam posuisse. Atqui idipsum de omni cum sacra, tum civili historia diceres, cumulatissimam utriusque cognitionem in Montio admiratus. Postulaverat ab eo Boncompagnius, ut de legationibus a Iudaeorum

gente, petendae amicitiae caussa, Romam missis, quae in Machabaeorum libris memorantur, quomodo ad Romanae historiae tempora referri possint, declararet. Ille autem sic declaravit, ut non modo utriusque gentis historiam a graecis, latinisque, nedum a sacris scriptoribus, funditus perceptam, sed etiam chronologiam ita se callere ostenderit, ut eum Sermonem si legeris, vel Vsserium, vel Petavium scripsisse judicaveris. Quid vero si quae, quantaque ad patriam illustrandam fuerit ubique expiscatus, diligenter collegerit, scripto tradiderit, cum aliis communicaverit, attenderis? Tantum videlicet, uti ait Zanottus, in patriae suae monumentis studium posuerat, ut nemo illo esset ad quaelibet explicanda paratior. Difficile dictu est, quamdiu, quantoque opere in id contenderit, atque insudaverit. Cum florente, tum procedente aetate vix ullum praeterire diem sinebat, quin ad publicum

tabularium se conferret, codices illos ut ut veteribus saepenumero inscriptos characteribus, quorum utique erat peritissimus, perscrutaturus. Extrema autem senectute cum illi per valetudinem non liceret quotidie, contineri tamen non poterat, quin identidem locum sibi ab ipsa adolescentia jucundissimum repeteret. Id quod testatus mihi non semel est vir omni laude dignus, palaeographiae magister, atque alter ex ejus tabularii praefectis, Antonius Giustius. Is enim cum multa, eaque admirabilia mihi de Montio, quem nihil omnino ne minimarum quidem rerum fugiebat, saepius enarravit, tum hoc aperuit, quod vix credam, ajebat ille, testis ipse mihi. Laboraverat ad dies plures Giustius frustra documentum de litigioso quodam praediolo quaerens, cujus haud satis noti erant fines, e quorum tamen notitia litis victoria pendebat. Adest (inquit mihi Giustius) ex inopinato senex

optimus: quid quaeram, interrogat; ut primum cognoscit, pluteum designat, capsulam nominat, afferri jubet: una vel altera pervoluta pagina, digito id extemplo commonstrat, ad quod inveniendum plurimum ipse operae, temporisque perdideram. Scilicet, Auditores, quidquid non ad urbem modo, ejusque varias variis aetatibus pomoerii prolationes; sed ad territorium etiam nostrum, ejusque locorum, fundorumque ipsorum nomina, terminos, vicinitates pertineret, perspecta habuit atque explorata ad unum omnia. Iam de viis militaribus, Romanorum temporibus per agrum Bononiensem ductis, Sermonem exaravit Paschalis Amatii sententiae adversatus, qui in suo de Annibalis per Apenninum transitu commentario prisca illa aetate viam, quae a Bononia per Apenninum in Etruriam commeantibus aditum praeberet, ullam fuisse negaverat; cujus quidem viae antiquitatem cum luculentissimis scriptorum

veterum testimoniis, tum conjecturis firmissimis partim a locorum appellatione, partim ab historia deductis apertissime adseruit. Fuit nempe Sermo hicce specimen veluti quoddam operis, quod ille, uti ad Boncompagnium scripsit, de patriae antiquitatibus lucubrandum susceperat. „ Propositum mihi fuit olim (Sermonem quippe sic ille suum exorsus est) cum relaxandi animi caussa subsecivis horis veterum scriptorum, in primisque historicorum monumenta perlegerem, locos omnes notare, in quibus aliquid exstaret, quod ad patriae nostrae origines, et antiquitates illustrandas quoquo modo conducere posse videretur: fore tempus aliquando sperans, ut paullo acriori studio adhibito in iis declarandis, atque evolvendis, quae obscuriora, ac difficiliora identidem occurrissent, perpensisque, et simul collectis, quae viri doctissimi iisdem de rebus antea litteris mandassent, syntagma

aliquod meis civibus non injucundum, neque omnis omnino utilitatis expers possem conficere „. Vtinam vero confecisset! Vtinam illud saltem esset exsequutus, quod eidem subjecit Boncompagnio! „ Labente scilicet in dies aetate, vix ulla spe reliqua operis ad normam pristinae destinationis perficiundi, ne plurimae notationes haud levis, ut existimabam, momenti, in quibus cogendis diu elaboraveram, a memet ipso, nedum ab aliis derelictae, oblivione demum perpetua obruerentur, novissime id consilii cepi, ut ex meis adversariis, et schedis, in quibus confusae, ac disjectae exstabant, data opportunitate eas eruerem, ac certa in capita ordine digererem, materiem ut illi, et quasi silvam haberent paratam, quibus posthac iisdem in argumentis versari placuisset „. Sedenim ut ut ne id quidem confecerit, solatio tamen hac in jactura aliquo fuerit, quod viris praestantissimis scripta ipse

sua, nihil propriae cupidus laudis, sed publicae studiosus utilitatis, volens libensque tradiderit, quibus illi scientissime usi patriam mirifice illustraverunt. Quid est quod reticeam Maurum Sartium, Maurum Fattorinium, Ioannem Elephantutium, Ludovicum Saviolium. Ioan. Baptistam Mellonium, qui nimirum tot tantaque a Montio praesidia cum accepissent, gratissimo animi sensu unde acceperint, palam publiceque confessi sunt. Confessus vero in primis est Ioan. Ludovicus Bianconius, qui pleraque eorum, quibus A. Cornelium Celsum Augusti aetate floruisse Tiraboschio, atque universo Eruditorum coetui probavit, percepisse se a Montio cum retulisset, Montium aptissima, eademque perhonorifica appellatione inexhaustum eruditionis fontem pronunciavit. Quam vere autem pronunciaverit, testari adhuc non pauci abunde possunt, quos inter unum nominasse placuerit, qui mihi

instar sit omnium non tam propter singularem ejus in me benignitatem, quam propter gratissimam patrui sui de me, supra quam dici possit, optime meriti recordationem, virum inquam nobilissimum, Equitem Beneficiarium Georgianum Bavaricum, Antonium Malvetium Marchionem, qui Montium quavis de re disserentem numquam audivisse se asseverat, quin tantae illius eruditionis prope miraculo raperetur. Rapiebantur scilicet quotquot vel semel cum eo fuerint collocuti. An ab homine quidpiam, obtestabatur Malvetius, quidpiam vel minutissimum quantumlibet, vel reconditum fueris percontatus, de quo ille statim non tibi satisfecisset non penitiorum modo rerum notitia uberrima, sed scriptorum etiam auctoritate, quorum loca ex tempore recitabat saepissime, paginas quoque ipsas enunciabat? Tanta nimirum ejus erat vis, ac firmitudo memoriae. Qua sane admi-

miranda memoria, singularis quippe illius, ac prope divini ingenii administra, fiebat, ut tot, tamque diversis in rebus excelleret. Nam quem, ut dixi, jurisconsultum, archaeologum, historicum, chronologum, philologum omnino absolutissimum agnovisses, quorum doctrinis veluti per otium animum adjecerat, quem putaveris disciplinarum, quas profitebatur, naturalis nempe historiae, ac botanices, doctorem exstitisse? talem nimirum, qualem cum scripta, quae supra memoravimus, in vulgus edita, tum undique ad illum audiendum confluentes discipuli per universam Italiam, immo vero Europam celebraverunt. Cujus tamen celebritatem nominis luculentius confirmari haud posse existimaverim, quam eorum testimonio atque auctoritate virorum utique gravissimorum, qui illi in utriusque disciplinae magisterio successerunt. Aloisium Rodatum scilicet primum appello, quem ab initio no-

minavi; tum Camillum Ranzanium, qui cum Lycei nostri Rectoris munere fungatur, hoc etiam nomine Montio dignissime successisse dicendus est, qui Marsiliano Instituto meruit praefuisse. Audax ne, atque imprudens fuerim, si talibus de Montii sapientia testibus memet ipse testem adjunxero? Faciam equidem, neque erubescam tamen, uni videlicet obsequutus veritati. Rem et ipse testabor, quae nescio, an cuipiam innotuerit: neque palam facere dubitabo, quamquam laudem meo judicio maximam ex Montii ipsius ore acceptam sim prolaturus; novimus enim quantum propter incredibilem ejus modestiam, ac summam animi simplicitatem ab omni arrogantia, inanique jactatione abhorruerit. Sermo mihi olim cum Montio incidit de Linnaeo; nam et ipse prima aetate Montium botanicen tradentem audiebam, eumdemque domum conveniebam identidem. Paucis dicam: aperuit is mihi

easdem in plantarum prope omnium floribus observationes antea se fecisse, quam Linnaeus opus illud suum, quod ipsissimis iis observationibus innititur, protulisset: at feceram, ajebat ille, studii, et oblectamenti caussa, non ut novae doctrinae auctorem esse me aut vellem, aut possem. O sapientiam admirabilem pari cum modestia conjunctam! Quae quidem modestia cunctis in rebus semper enituit. Ejus vero argumentum praestitit Montius singulare, ac forte inauditum, et novum, cum anno supra millesimum septingentesimo octogesimo septimo Petronius Tadolinius monetalis officinae scalptor numisma imaginem ejus referens, ipso plane inscio, a se percussum ad eum detulit, rem uti perhonorificam, ita non injucundam illi futuram ratus; at contra id ubi Montius cognovit, quasi de injuria sibi facta vehementer conquestus hominem praeter ingenitae mansuetudinis suae naturam repulit, ac

numisma ad ejus pedes projectum ne aspicere quidem voluit: adeo a quacumque honoris significatione abhorruit. Numisma tamen sic brevi domi forisque, longe minus ob artificium operis, quam ob celebritatem Montii, conquisitum est, ut anno postero iterum opere novo percussum fuerit. Verum enimvero praeter modestiam virtutes etiam reliquae omnes, quae virum sapientem maxime decent, in Montio eminuerunt, religio, pietas, integritas morum, vitae innocentia, animus a cupiditatibus invictus, summum et perpetuum de universis sive civibus, sive exteris benemerendi studium. Id cum in omnibus ejus sive dictis, sive factis apparuit, tum in iis potissimum Sermonibus eluxit, quos publice adolescentes laurea exornaturus recitavit. Sunt apud me ejusmodi Sermones bene multi, in quibus nescio an eruditionem magis doctrinamque admireris, quam quod dixi, virtutis

ingerendae studium exardescens. Iuverit ad exitum properante oratione exordium ex iis alterum, quo Sebastianum Canterzanum philosophiae doctorem renunciavit, in specimen reliquorum attulisse. „ Archytas Tarentinus vir clarus, et magnus, et in illa veteri Italiae Graecia, quam suis praeceptis Pythagoras imbuerat, sapientiae laude excellens, cum de instituenda ad virtutem hominum vita sermonem aliquando esset ingressus, in amplissimo conventu Graecorum, Italicorumque Procerum, cui et summus philosophus Plato, et Pontius Herennius clarissimus Samnitium dux praesentes aderant, orationem copiosam habuit, gravem, splendoris ac dignitatis plenam ... Deploravit enim calamitatem generis humani, quod mente, et ratione divinitus informatum, ad rerum superarum ac caelestium contemplationem, et cognitionem factum, eàque praeditum animi vi, quae corpori dominari

deberet, et posset, sic tamen in abjectissimum servitium corporis praeceps rueret, ut qui tam praestanti dono sapienter uti nossent, pauci admodum reperirentur; plerique vero voluptatum illecebris capti, atque irretiti, et quasi vinculis quibusdam adstricti, vix aliquid possent nisi de quaerendis corporis bonis, nisi de insanissimis cupiditatibus explendis cogitare. Neque vero tanti mali aliam esse caussam, quam quod effraenatam illam insitamque in omnibus voluptatis potiundae appetentiam, quam coercere ac reprimere par esset, immodicis deliciis alerent, ac roborarent: quippe nullam capitaliorem pestem quam voluptatem a natura datam: hanc sapientiae inimicam, hanc corruptricem morum, hanc vitiorum fomitem, hanc labem perniciemque virtutis; neque omnem tantummodo attenuari ab ea, et exstingui honestatis, ac probitatis sensum, sed obtundi etiam mentis aciem,

illudque ipsum rationis lumen, quo ad veritatis cognitionem nitimur, crassis quasi tenebris misere offundi, et obscurari. Ex eo sequi, nihil esse tam exitiosum quam voluptatem, quae si major forte esset ac diuturnior, caelestis originis animum in terram prorsus deprimeret, et altius demergeret, ipsumque hominem, divinae Mentis imaginem, ratione ac consilio spoliatum brutis animalibus simillimum redderet „ Quae cum retulisset Montius, multaque de Archytae laudibus subdidisset, ad Canterzanum veniens „ Aspicite, ajebat, hunc Iuvenem, qui coram adest, quemque praeclara indoles, liberalissimis exculta studiis, vobis commendat; is documentum esse potest, quantum ad egregiam in studiis laudem assequendam valeat temperata quaedam, et aequabilis, et frugalitatis legibus adstricta vitae institutio. Videte, ut in eo nihil elucet nisi modestum, nisi compositum, nisi

ad singularis cujusdam ingenuitatis, ac docilitatis speciem effictum. Sed fuerint haec dona naturae: fuit illud certe virtutis, haec et alia multa naturae dona, ingenii acumen, mentis celeritatem, memoriae firmitudinem non luxu, aut otio corrumpere, sed industria atque exercitatione ad laboriosum illum, et arduum, quem sibi proposuerat, vitae cursum mature accendere, et commovere„. Is profecto, quem Montius praedicavit, et doctrina, et virtute exstitit Canterzanus: exstitere autem alii quamplurimi iisdem ab eo insignibus, ornamentisque honestati. Sed omnium est praedicationem longe antegressus ipse Montius, quo in uno omnes plane enituerunt laudes, quas ille in aliis commendabat. O tantum virum, Adolescentes optimi, si novissetis! Iam enim nunc ad vos sermonem ego extremum convertam; o tantum, inquam, virum si novissetis! Cujus quidem vultus effi-

giem in ejus monumento aspicere, quoties libuerit, poteritis, quod in Lycei aedibus sodales, et cives ob insignia merita exstruendum illi, erigendumque curaverunt. At illud velim prae oculis habeatis, monumenta ejusmodi non tam virtutis honorandae caussa extolli, quam ad incitamentum virtutis. Quapropter vos magnopere hortor, vos exoro, ut tam praeclarum, tamque excellentem virum tota animi contentione aemulari studeatis. Neque enim illum vobis omni ex parte imitandum proponere ullo modo dubitem. Videte quam non dubitem. Affirmare immo vero audeo futurum, ut providentissimus ipse Princeps, Parensque publicus, auctor idem studiorum optimorum, atque auspex virtutum omnium, Lycei nostri restitutor, et ampliator LEO XII. P. M., si hujus diei lucem, atque hujus celebritatem loci (quod quidem animo fingere quidni liceat?) majestate au-

gens sua praesens adesset, Montium idem ipse vobis proponeret, quem imitaremini. Verum meis utique verbis proponit is, qui et faustissima omnes praesentia recreat, et auctoritate me sua dicentem confirmat, quique summa cum splendoris Lycei, tum emolumenti juventutis cura, ac sollicitudine incensus, nobis omnibus vice sacra praeest Vir Eminentissimus Carolvs Oppizzonivs Cardinalis Archiepiscopus; idemque non tam ad maximam illius, de quo dixi, clarissimi viri gloriam, quam ad singularem, certissimamque vestrum omnium, Iuvenes egregii, utilitatem Montium tamquam nobilissimum, omnisque imitationis dignissimum exemplar vobis meis, inquam, verbis etiam atque etiam proponit, vehementerque commendat. Id unum jam reliquum est, ut vos tanti viri insistentes vestigiis, justissimo omnium desiderio, praeceptaeque de vobis spei satisfaciatis.